

QK. 280.

LESSUS

In funere

V. CL.

DN. M. JOHAN-  
NIS ZECHENDORFFII,

Lesnicensis Misnici, Scholæ Cygneæ ultra 44. Annos  
Rectoris fidelissimi, meritissimi, Philologi, dum fata Deusq;  
sinebant, Excellentissimi,

X2121519

(Ob Ανατολικού λαοσογνωσίας singularem etiam Ex-  
teris notissimi estimatiq;

Supremi Officii & debiti Honoris ergo,  
consternato licet animo & ægro,

factus


à

CHRISTIANO DAUMIO,

Scholæ ibid. t. t. Collega Tertio,

beatè-defuncti

Discipulo & Affine  
nunc Successore.



Anno

Vna Vbl faX Febr VI post OCTO bIs aXe ref VLsIt,  
ZeChenDorffIV s haC LVCIDA teCta s VbIt.

1662

CYGNÆ,  
Typis GÖPNERIANIS.

20.



M. JOHANNES ZECHENDORFFIUS,  
Philologus & Theologus, &c.

Ex Elogiis Clarissimus, Doctissimus & πολυγλώττας Celebre-  
Styzelianis. rimi & Illustris Gymnasii Cygnei in  
Misnia:

Rector Emeritus &c.  
Literatorum Nestor.

**Q**VOS-Orientales discendi-cumqve cupido  
Sancta tenet Lingvas, huc properate citi,  
**ZECHENDORFFIUS** ubi Cygnea Magnus in urbe  
Totius aggeffit large Orientis opes.



**N**ON habet, invideat Belgis, Gallisqve qvod, ulli  
Aut adeo genti Teutonis ora hodie,  
Lingvarum spectet qvod nempe peritiam: abunde  
Cum **ZECHENDORFFIUS** omnia suppeditet.

Officii, cultūs & observantiæ in Clariss. Doctiss.  
πολυγλώττας, ipsoq; Nestore magis ve-  
nerandum Senem

L. M. Q. F.

mense IXbri A.C.  
et loc LXI,

Joh. Georgius Styzel / Augusta Vind. apud  
Rotenburgo-Tuberanos Consularis &c.  
Senex & ipse Septuagenario major.

# MONODIA.

**Z**ECHENDORFFIUS heu FUIT!  
ZECHENDORFFIUS baſtēn⁹  
Noſtre Stella nitens Scholæ  
(Sic JHOVÆ placitum) FUIT!

Luge Cygnea!

Proh dolor, dolor!

Plora Cygnea!

Plora Cygnea lacrymis,  
Orba hoc bono, verissimis!

Luge Cygnea perpetim,  
Naetum vix huic parem!

Tristis Cygnea!

Proh dolor, dolor!

Mærens Cygnea!

Qui pubem docuit tuam,  
Qui mores poluit rudes,  
Qui lingvas Nabatæias  
Sollers excoluit, FUIT!

Acerba fata!

Proh dolor, dolor!

Molesta fata!

Gentis loqvelam Romulæ,  
Sonos Pelasgi gutturi,  
Quod fantur Ebræus, Syrus,  
Chaldaægens, Perses, Arabs,

Callebat ille,

Proh dolor, dolor!

Docebat ille.

Nôrat Pierios modos,  
Phæbi delicium sui,  
Et septemplice quod cata,  
Involvit Sophie cyclo.

Nunc muta cuncta.

Proh dolor, dolor!

Nunc surda cuncta.

Quod nôrat, haud recondidit:  
Volant per Orbis cardines  
Acuti agalmata IngenI,  
Et clathra pulsant pluria.

Quis promet illa?

Proh dolor, dolor!

Quis edet illa?

Fraudes hic Mahometicæ  
Legis diluit, afferens  
Veri Oracula dogmatis,  
Et Christi DEL adorem,

Multo labore,

Proh dolor, dolor!

Pio labore.

Ambaginum osor maximus  
Artes docens & Lingüas,  
Discentium cum commodo  
Compendiosa tradidit,

Nulli secundus,

Proh dolor, dolor!

Nulli amulandus.

Ingrati tamen (heu probrum!)

Secli pessima Scævit as

Tantum vix coluit bonum,

Tantum vix meruit bonum,

Quod perdidit nunc,

Proh dolor, dolor!

Quod mox reqviret.

At aestimavit interim,

Belga eruditus bunc Virum,

Laudesq; Seqvana illius

Et exter Orbis audiit,

Qui gerro pravis,

Proh dolor, dolor!

Qui vappa pravis.

X 2

Nul-

Nulli vir fuit hic gravis,  
 Cunctis utilis. Inde flet  
 Ejus fata cohors egens,  
 Lacrymatur amica gens,  
 Sonant querela,  
**Prob dolor, dolor!**  
 Tonant querela.  
 Ego ipse qui sensi Patrem,  
 Vitam per omnem, præducem  
 Me & Magistrum Pallados,  
 Tandemq; Collegam, heu fleo.  
 Patronum ademtum,  
**Prob dolor, dolor!**  
 Amicum ademtum.  
**Quis nunc sat capiti meo**  
 Lymphas sufficiet? quis ab  
 Præbebit lacryma uberis  
 Fontes his oculis meis?  
 Ut luce plorem,  
**Prob dolor, dolor!**

Ut nocte plorem  
 Vos ô Camenæ spargite  
 Rosas, Crocos ac Lilia,  
 Et æviterno Carmine  
 Signate marmor candidum  
 Vestro Camillo,  
**Prob dolor, dolor!**  
 Vestro Chomgo.  
 Pax functo fuat & Qvies!  
 Nullus compositum-bene  
 Turbet Livor, atroxvè Strix!  
**ZECHENDORFFIE iö ultimum.**  
 O care qvondam,  
**Prob dolor, dolor!**  
 O care semper  
**ZECHENDORFFIE jö ultimum.**  
 Have valeq;  
 Salve valeq;  
 Tu præfisti: Te beatum!  
 Nos, volet cùm JAH, seqvemur.

**I**ngratas, ævi tandem satur, optime, terras  
**ZECHENDORFFIADE**, diraqve multa, fugis:  
 Corporeo qvæ percessus tu in carcere, dum te  
 Et morbi & senii pergrave pressit onus.  
 Nunc jo viventum fausta in regione moraris,  
 Est tua ubi Christus parsqve Salusqve Deus.  
 Nil tibi nunc morbus, nil pestis, nil nocet hostis,  
 Ceu prius: angorum nescius, unicè ovas.  
 Hunc tibi Natalem\* verum non gratuler? Et non,  
 Qvem celebrabam olim,\* post tua fata colam?

\* Diem obitus Veteres Natalem vocabant. Clarum hoc ex Paullini Nolani Episcopi in Natalem Felicis Carminibus.  
 \* Allusum ad Natalem ejus, qvotannis à me Carmine celebratum.

Ad

*Ad Clariss. & Excell. Virum*

DN. M. JOHANNEM BOHEMUM,  
P.L.Cæs. Rectorem Gymnasii Dresdensis, &c.

TRistia quæ scripsi, Musarum Gemma, BOHEME,

Qui pubem Dresdæ Gymnasiarcha doces!

ZECHENDORFFIADEN, Senio venerabilem & Arte;

Grande q̄ve Cygnensis nuper Agalma Scholæ,

Occubuisse necis non-exorabilis harpâ,

Cumq̄ve hoc ingenii ditia dona sophi.

Tristia revera (quis enim neget hocce?) fuere.

Tam Tibi, quām nobis Pieridumq̄ve choro.

Namq̄ve Vir occubuit, quo non dilectior alter

Tam Tibi quām nobis Pieridumq̄ve choro.

Occubuit, nōsti, quo non præstantior alter

Afferere Eoæ cunctum Idioma plagæ;

Qui sollers docuit pubem brevioribus orsis,

Plurima qui scripsit, plurima legit item.

Testantur Latio, Grajo, Hebræoq̄ve, Syroq̄ve,

Chaldæo atq̄ve Arabum Persigenūm q̄ve sono

Scripta (a) Viri, paucis quæ non est dicere promptum,

O tūtinam in Lucis mox retrahenda jubar!

Ne tunicæ fiant scombris, piperisve cuculli,

Aut pessum blattis undiq̄ve rosa cadant;

Aut sese his ornat forsan Cornicula risus

Materiam doctis inde datura Viris.

Namq̄ve ea (b) quæ nostræ commisit idonea curæ,

Doctura & Latios Grajugenūm q̄ve sonos;

Ne pereant, lucem sed cornutus edita visant,

Faxo, si vitam Gratia dia dabit,

Et Mæcenatum largus favor adjuvat ausum;

Nec Livor cœptum turbat iniq̄vus Opus.

Quanquam auctor melius, nisi tempora dira yetassent,  
Fecisset vivus publicè ea ipsa legi.  
Fletibus adfundis fletus, mecumq;e gemiscis,  
Et tumbae incidis nobile lemma Viri.  
Hoc quoque nos pariter conantur, at impare vena,  
Et brevia in cippo verba legenda damus :  
**ZECHENDORFFIUS HIC JACET, EOÆQVE LOQVELÆ;**  
**QVAS, VELUT IS, QVI SIC CALLEAT, ECQVIS**  
**ERIT?**  
**FIDUS IN OFFICIO TEMNEBAT MURMURA MOMI,**  
**CONFISUS CHRISTO SIDERA MENTE COLIT.**

(a) Horum potissima sunt : Precognita & Gymnasium Latina Lingua : Sepimentum Gymnasi. Methodus sive Didactica. Lexicon Latina Lingua. Tabula Graeca Lingua. Circuli ad Conjugationes & Declinationes Hebraicas, Chaldaicas, Syriacas, Arabicas, Persicas, Turcicas facile addiscendas, eri incisi. Manuductio ad Circulos illos. Lexicon Harmonicum-Analogicum Hebraicum. Lexicon Arabicum Picticon ex Psalterio Savariano, aliisq;. Lexicon Arabicum ex Alcorano multisq; ultiis Arabicis Scriptoribus collectum. Lexicon Persicum. Scita Arabica. Precationes Arabum latine Versa. Alcoranus latine Versus, & plerisque in Suratis confutatus. Fabule Muhamedice & Carmine Epico refutata. Compendium Theologiae Reineccii Arabicè Versum. Psalmi plurimi Versibus Arabicis phrasè Alcoranica conscripti. Tetrastichorum Evangelicorum Th. Ebersi Arabicè Versio. Job. Ulrici Müflingi Scripta Arabicè Versa. Beustii Disticha Evangelica Hebraice Versa. Et alia plurima. Qæ partim edita, partim inedita maximam partem limam præstolantur.

(b) Gymnasium scil. Latina Lingua. Cuius prior pars Anno 1622. edita, postea à me recensita, nec parum mutata, & duplo auctior, cum posteriore parte ultimam manum adhuc flagitat: Opus ČN ΟΥΒΩΨΙΟΥ fere, q;vi adhuc existant, Latina Lingua Autorum, additis sequioris recentiorisq; & plerorumq;e Scriptorum, Voces Analogicè dispositas complectens. Qib; accedunt Vocum secundum singulas Terminations peculiares Indices, Analogici instar Lexici, q;vi predictorum Scriptorum Autoritatib; eas muniunt, Philologorumq;e Observationibus & Explicationibus illustrant. De q;vâ Operâ ipse Dn. Zechendorffius p. r.videndus Praefatione in meam de causis amissarum Latinae Linguae Radicum Diatriben. Deinde Tabula Graeca Lingua, aucta, & Radicibus restitutis reconcinnata, q;va itidem ultimam manum expectant.

PARO-

PARODIA ODES XXVI.

Horatianæ Libri III.

Σ ΖΑΜΑΡΙΤΗΣ loquitur.

**V**Ixi Juventæ nuper idoneus,  
Et erudivi hanc non sine gloriâ:  
Nunc ossa, defunctumq;ve morbis  
Corpus iō hic tumulus fovebit;  
Lævum vocati qvi Mariâ latus  
Templi ornat. h̄ic h̄ic ponite grandia  
Volumina, & pennas, & artes  
Arabicis studiis sacratas.  
O qvi beatum CHRISTE tenes polum, &  
Sedem carentem luctificis malis,  
Rex maxime, in dextram cruiere  
Conde animam tibi vindicatam!

AD MANES BARTHIANOS.

**B**ARTHIADÆ Manes, Vestri hoc concedite nobis  
Alloquium: Vobis sic sit amica Quies!  
Qui venerabatur vestræ, dum fata sinebant,  
ZECHENDORFFIADES, Carmina dia Lyræ;  
Nescius hæc stupuisse satis, didicisseq; quarum  
Autorem & coleret cultus ab hocce simul.  
Parerat, in terris si vos super, illius umbra  
Ut Cliūs vestræ splendida honore foret;

Ni:

Ni Decreti aliter sanxisset jussio dii,  
Nec minor hoc Annis cederet orbe prius.  
Nunc strepera inculti Funebria condit Hyantis  
Daumiadæ, vestrum non satis ad Genium.  
Parcite, si properi q'vicquam peccavimus, olim  
Emendaturis, si pia fata volent.  
In vestras alacri laudes, tunc ibimus orsu,  
Promeritisq; decus postera Sæcla legent.  
Interea tumulis augescant Lilia vestris,  
Et spiret Tyrium nobilis urna crocum!

Zf6715 UK FINIS.



JK  
Von

QK. 280.

34

# LESS In funere V. CL DN. M. J. NIS ZECHEN

Lesnicensis Misnici, Scholæ C  
Rectoris fidelissimi, meritissimi, I  
sinebant, Excell

(Ob Αναγλικού λωρού ωνωσίας σι  
teris notissimi ejus)

Supremi Officii & debi  
consternato licet a

fatus

2

CHRISTIANO



Scholæ ibid. t. t. C

beatè-defu

Discipulo &  
nunc Succes

Anno

Vna Vbl fax Febr VI post OC  
ZeChenDorffl Vs haC LV

CYGNUS  
Typis GÖPNI

**TIFFEN® Color Control Patches**

Centimetres

	Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
	Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
Blue									
Cyan									
Green									
Yellow									
Red									
Magenta									
White									
3/Color									
Black									

© The Tiffen Company, 2007